

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4315

Auteur(s) : Sées (official)

Bénéficiaire(s) : Cerisy-Belle-Étoile, Notre-Dame de Belle-Étoile (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1255, 9 mars

Lieu d'émission : Lyon

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle d'Innocent (IV) (1247, 1er avril), vidimée par R(obert), évêque de Beauvais, par l'official de Rouen en deux fois, et par l'official de Sées.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° XCVII, p. 82-84.

Dissertation critique

La bulle d'Innocent IV date du 1er avril 1247. Le vidimus final fait par l'official de Sées date le 9 mars 1255 (n. s.).

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis officialis Sagiensis salutem in Domino. Noveritis nos quasdam litteras sigillo venerabilis viri officialis Rothomagensis [sigillatas], non cancellatas, non abollatas, nec in aliqua sui parte viciatas vidisse et diligenter inspexisse in hec verba :

Omnibus hec visuris officialis Rothomagensis salutem in Domino. Noveritis nos, anno Domini M CC quinquagesimo, die jovis post festum Sancti Martini hyemalis, litteras quasdam sigillo Curie nostre sigillatas nobis, ex parte virorum religiosorum abbatis et conventus Beate Marie de Bella Stella, Premonstratensis Ordinis, exhibitas et ostensas vidisse et diligenter inspexisse in hec verba :

Omnibus hec visuris officialis Rothomagensis salutem in Domino. Noveritis nos litteras reverendi patris R. Dei gratia Belvacensis episcopi vidisse et diligenter inspexisse in hec verba :

R. Dei gratia Belvacensis episcopus universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et sinceram in Domino caritatem. Noveritis nos litteras domini pape non viciatas, non cancellatas sed in omni parte sua integras et bene bullatas diligenter in hec verba inspexisse :

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Premonstratensibus et aliis abbatibus et prioribus eorumque conventibus Premonstratensis Ordinis salutem et apostolicam benedictionem. Cum, pro toto Ordine vestro, juxta ipsius possibilitatem, congrue sit nobis per te, fili abbas Premonstratensis, ad mandatum nostrum de Ecclesie Romane subsidio satisfactum, nos, gravaminibus vestris providere volentes, presentium vobis auctoritate concedimus ne quis legatus vel nuntius apostolice sedis aut ordinarius seu prelatus vel alius per litteras apostolicas que de hac indulgentia et de Ordine nostro expressam et specialem non fecerint mentionem, ad

contribuendum aliquid, occasione cujuscunque subsidii ecclesie memorate vel alterius ecclesie seu ecclesiastice persone, compellere vos possit invitos, si que late sint in vos vel domos vestras aut aliquem vestri Ordinis, pretextu ipsius subsidii, excommunicationis vel interdicti sententias relaxantes, et si quas contra tenorem hujus indulgentie ferri contigerit decernentes aliquatenus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hec attemptare presumpserit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli se noverit incursum. Datum Lugduni, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Hujusmodi autem privilegium ostensum fuit nobis a parte abbatis et conventus ecclesie Sancti Justi Belvacensis dyocesis ad eorum defensionem et libertatem, anno Domini M CC XL septimo, die martis post Isti sunt dies.

Nobis autem littere predicti episcopi Belvacensis ex parte abbatis et conventus ecclesie beate Marie de Bellosanna ostense ad eorum defensionem et libertatem fuerunt anno Domini M ducentesimo quinquagesimo, die martis synodi in octabis Omnium Sanctorum.

Hoc autem quod vidimus et diligenter inspeximus testamur sub sigillo Curie nostre, data, dictis anno et die jovis. Valete.

In cujus rei testimonium presentibus litteris sigillum Curie Sagiensis dignum duximus apponendum. Datum anno Domini M CC quinquagesimo quarto, die martis post Letare Jerusalem.